

quæ pro hominum ossibus haberi voluerunt, at ex tali ossium paucitate, maxime partium minus principalium, de homine interfecto nondum constare potuit. Imò posteaquam tandem ossa illa anatomicis cognoscenda, & dijudicanda transmissa fuerunt, à Medicis Helmstadiensis & Giessensis Academiarum, non humana, sed beluina esse ossa responsum fuit; ut testis est *Nebelk. d. decis. 21. p. 246.*) quo armorum genere id commissum; quæ & quot vulnera punctim cæsimq; intulerit, quid bonorum apud occisum repererit, abstulerit, vendiderit aut celarit. Qui omnes interrogationum modi non incommodè furibus, prædonibus, latronibusq; mutatis mutandis, ut fatentur, proponi possunt. Refert *Valerius Maximus* de Caldio Bononiensi, reo profuisse circumstantias: Suspectus, inquit, erat locus, suspectum tempus, suspecta matrisfamilias persona, suspecta etiam adolescentia ipsius. Similiter ille apud Comicum: Concurrunt, *inquit*, multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant, locus, occasio, ætas, mater, sub imperio cuius est, mala. Habet hæc *Gobler. in artic. 47. in auctario, pag. 54.*

ARTICULUS XLIX.

Interrogatio confessi proditoris.

I. Falsus proditor interrogari debet, quis conduxerit confessum, quid proditoris nomine à conducente acceperit, ubi, quomodo, & quo tempore, quibusque de causis facinus hoc ausus fuerit, *Zieritz. hic, per tot. & Steph. ibidem.* Erat quondam Apelles Pictor apud Ptolomeum conjurationis, quæ in Tyro facta est, insimulatus, falsò, & per calumniam Antiphili: ubi reprehenditur Rex, quod conjecturas, quæ causæ fidem aut facerent, aut minuerent, primùm neglexit, nec animadvertit calumniatorem Apelleæ artis æmulum esse: deinde fortuna minori Apellem, quàm ut civitatem prodere posset, neque interim percunctatus, num aliquando ille in Tyrios navigasset, quin statim plectendus videbatur. Sed re per circumstantias cognita, collectoq; animo, Rex postea sententiam mutavit. Tanti refert in omni causa, peristales, vel diligenter observasse, vel temerè neglexisse, *Gobl. art. 48. p. 55.*

ARTICULUS L.

Si veneficium quis fateatur?

I. Is quæri debet, quibus de causis propinarit venenum, aut propinare voluerit, unde id acceperit, qua ratione usus fuerit, quemq; habuerit suaforem, aut auxiliatorem, *Zieritz. & post Remum Steph. hic.*

ARTICULUS LI.

Examen incendium confitentis.

I. Interrogatus de incendio, si fateatur delictum, quærendus erit, cur hoc fecerit, quo tempore, quibus sociis, quibus consiliis, auxiliis, quibus instrumentis

mentis